



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De munditia, à vitiis & passionibus occultis. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

dem humanam quærit de singulari facto, sepe confusionem incurrit (Deo permittente) coram multis in aperto. Vana gloria & amor propriæ laudis decipiunt multos, priuando eos bonis æternis, vt patet in virginibus stultis.

2. Quid stultius, quàm vana diligere, & vera respicere? Quid peruersius, quàm Deum negligere, & hominem attendere? Quid amentius, quàm mundum aspicere, & cælum despicerere? Cor diuitis in terra, cor pauperis in cælo. Cor humilis sub Deo, cor superbi contra Deum.

CAPVT IX.

De munditia cordis, à vitiis & passionibus occultis.

1. **B**eatissimo mundo corde. Munda cor tuum à vitiis, vt verè sis bonus. *Matth. 5.*
 Quare miser vis laudari de bonis, quæ non habes? Vere ita despicabilis es in multis, vt meritò erubescere possis, quamuis libenter hoc non audis tibi dici ab aliis. Qui sunt, qui vanitatè amant; Qui humanam laudem affectant. Humilis & sibi ipsi vilis in veritate stat, & nunquàm se de bono eleuat: sed semper se humiliat, & peccatorè faterur & dolet. Inspice te rectè & interne, & noli leuiter credere linguæ alienæ & famæ ventosæ. Vidi laudantem socium suum in facie, & post tergum detrahentem pessimè. Consideraui arguentem amicum in charitate seriosè, & excusantem eum publicè ipso nesciente.

2. Quando veritas & charitas sibi obuiant, tunc quæ pacis & salutis sunt pariter tractat. Laua manus tuas ab opere peruerso, & prohibe labia tua à verbo otioso, oculos à visu nociuo, cor à cogitatu maligno, & eris mundus coram Deo. Sape lauas manus & faciem, ne displiceas hominibus; multo magis laua conscientiam tuam à vitiis, vt placeas Deo & angelis eius, qui vident abscondita cordis.

CAPVT X.

De vera pace cordis in virtutibus.

1. **B**eatissimo pacifico, &c. Cor purum diligit Deus, in pace habitat *Ibid.*
 Christus super humilem & mitem requiescit Spiritus sanctus. In tumultu perditur Iesus, in risu offenditur, in ira expellitur, in mendacio conspuitur, in detractione spoliatur, in dolo percutitur, in odio crucifigitur. Quicquid mali proximo ingeritur, Iesus sibi factum conqueritur.

2. Cauè offendere Deum, caueas scandalizare proximum, ad imaginem Dei factum. Reuoca errantem, instrue ignorantem; da bonum exemplum, tolle omne offendiculum; sequere Iesum patiendo opprobrium, pro malo restitue bonum, & recipies pro omni modico hic passo præmium æternum & gaudium cum angelis sanctis in regno cælorum.

Aduersus Iesum facis quicquid peccas.

MANV.